



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. II. Circa contumelias, & convitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

efficiantur; hinc teste Apostolo Hebr. 11. alii distenti sunt, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

LVII. Quintò denique eidem ostendat, quòd, sicut ij, qui per sequuntur ipsum, habent Diabolum assistentem, ita ipse habeat DEUM protegentem, & que aded causam non habeat timendi damnum ex persecutione; id quod S. Cyprianus de exhort. ad Mart. c. 10. eleganter confirmat, offerens locum scripturæ Exod. 1. *Quanto magis opprimebant eos (nempè Ægyptij Filios Israël) tanto magis multiplicabantur, & crescebant: sic super eo discurret: Ex hoc loco perquam necessaria nobis traditur admonitio, nempe timendum non esse injurias, & poenas persecutionum; quia magis est Dominus ad protegendum, quàm Diabolus ad oppugnandum.* Hinc, ut idem Author in Apol. advet. Demetrium ait, *nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianum exurgit, ut non statim divinitus vindicta comitetur; & quanto magis fuerit persecutionis injuria, tanto & illustrior fiet, & gravior pro persecutorum vindicta; uti in persecutionibus Romanorum Cæsarum videre est.*

## S. II.

*Tentatio II. Circa contumelias, & convitiis.*

LVIII. Juliana Uxor sævissimum & summè iracundum habens Maritum, quotidianis ab eo contumelijs, convitiisque aded laceffitur, ut prope intolerabile

terabile sibi per illa jugum Matrimonij effici fateatur, ideoque Confessario hanc suam tentationem aperit, ab eoque remedium petit. Quæritur, quomodo illi sit obviandum?

*Responsio.*

LIX. Primò illi memorabilem Origenis sententiam ho. 2. in Pl. 37. referat: *Impossibile est homini, in hac vita omnibus satisfacere, & ab omnibus laudari. DEVS ipse odio habetur & maledicitur à multis, dicente Propheta: Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam? Multi ac innumeri ejus detrahunt honori. Christus IESVS usque in hodiernum diem à multis adhuc judicatur seductor, & anathema ei dicitur à Judæis, & Gentilibus, & tu existimas, te posse ab omnibus diligi, amari, benedici? Meritò ergo. S. Cyprianus de bon. pat. infert: Si nobis Dominus & DEVS Pater est, sectemur patientiam DEI pariter & Patris; quia & servos oportet esse obsequentes, & Filios non decet esse degeneres.*

LX. Secundò eidem consilium à S. Chrysostomo inc. 5. Ep. ad Theff. datum suggerat: *Convitiatus est quispiam? vituperavit? tu claude ostium; si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in edibus, quòd, quando è regione ac directè due januae opposita sunt, & flatus vehemens irruerit si alteram clauderis, nihil valeat efficere flatus, sed plurimum de illius robore precipitatur? ita & hic due sunt januae, os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit: si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem istum flatum extinguēs; si verò aperueris, effrenis reddetur. Ita Christus exemplo suo docuit, qui ad maledictiones*

nes

nes à Judæis coram Pilato propositas non respondit ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Ita & S. Paula Romana, teste S. Hieronymo ep. fecit, dum, si quando procacior fuisset inimicus, usque ad verborum jurgia profuisset, illud Psalterium decantabat: *Posui ori meo custodiam, cum confisteris peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis.* Ps. 38.

LXI. Tertio illi doctrinam S. Ambrosij in Ps. ponderandam offerat: *Beatus inquit, qui potest tantam habere virtutem, ut laceffitus non irascatur. Inimici hoc agunt, ut provocent ad iracundiam; maledicimus ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorquamus: convitiantur, ut excitent nos ad vicissitudinem contumelia. Sed justus ad Christi similitudinem & imaginem cupiens sua vita instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat laceffitus, & non aperit os suum, cum possit habere, quod referat, magis vult silere, quam dicere. Sicque magis refutat convitiando, quam loqueretur, ubi præclare S. Ambrosius l. 2. offic. c. 1. indicavit dicens: Quando aliquis nobis convitiatur, laceffit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat, silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Denique si taceas? si dissimules, solet dicere: quare tace? loquere, si audes: Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, posthabutum, atque illi sumus. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit. Si autem taceas, dicitur: ille convitiatus est, contempfit iste. Si referas contumeliam, dicitur: ambo convitiati sunt: uterque contemnat, nemo absolvitur.*

LXII. Quarto illi ostendat, quod contumelie

ideo hoc nomen juxta aliquos acceperint, quòd sint contemptu dignæ, atque adeò optimè & ipsam facturam, si eas contemnat, nihilique faciat, uti & S. Basilius l. 10. de ira suasit dicens: *Si parvum puer te contumeliosis verbis peteret, occasionem tibi potius videndi daret. Quòd si phrenesi captus, & sensu excidens verba vite incomposita, & stulta, minimeque vera dicat, misericordiâ potius, quàm irâ dignus erit.* Idem Seneca jam olim etiam sensit dicens: Si stulti te verbis contumeliosis afficerent, nonne patereris? atqui stulti sunt, qui te convitiantur; non enim ratione, sed passione ducuntur; underectè Cato Senior, teste Plutarcho, iratum ab infano nullâ aliâ re, quàm morâ temporis differre, irâmque adeò nihil aliud esse, quàm insaniam brevem dixit. Quapropter sapienter monet Salomon. Prov. 26. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

§. III.

*Tentatio III. Circa Detractiones passivas.*

LXIII. **A** Lexius vir honestus, etsi omni studio conatus sit, cuius sua jura & honorem defendere, & quemvis officiis & obsequiis suis demereri; passim tamen homines contra se querentes & obloquentes audit, maximè verò hypocritis & plurium aliorum criminum nunquam cogitatorum insimulari. Quare gravissimè has detractiones sentiens, dolorem suum justissimum Pastori suo manifestat, ab eoque consilium & scutum adversùs ejusmodi tentationem petit. Quæritur, quomodo sit munien-

*Respon-*